

Q.K.
436
19.

EXPOSITIO
NUMISMATIS
ARGENTEI

II m
1220

In Memoriam

DU CALIS PALATII
SALTZDALENSIS

Terræ Brunsvico Gvelfpherbytanæ
nuperrime cusi

HISTORICO-POLITICA.



BIBLIOTHECA
MUNICIPALIANA

ANNO D DCC V.

SERENISSIMO ac POTENTISSIMO
DOMINO ac PRINCIPI
DN. ANTHONIO
ULRICO,

Duci Brunsvicensi ac Lüneburgensi
PRINCIPI

PIO, FELICI, FORTI

ac

MAGNANIMO
GRATAM hanc QUIETEM

Animo

*Devotissimo Humillimoque sacram esse
voluit.*

I. PH. O. B.



I. N. 7.

GRATAM igitur Serenissimi ac
Potentissimi Domini, Pii, Justi, Magnanimi For-
tis atque Felicis Principis, Domini ANTHONII
ULRICI, Ducis Brunsvicensis ac Lüneburgensis
Domini Patris Patriæ meæ Clementissimi, in quibuscun-
que hisce paginis, pro omnimoda virium mearum imbecillita-
te, humillimo deenerationis cultu, ex nuperrimo Lauda-
tæ Serenitatis Numismate, jam celebraturus QUIETEM,
Principis, inquam, cujus divina prorsus Clementia, Justi-
tia, Pietas, ac singularis Gratia, tam erga me immeren-
tem, quam omnes subditos fideles, nec nitidissimis, Spe-
ciosissimisque, ac ex penu omnium, omnis ævi Oratorum
depromptis Elogiis, Encomiisque, satis digne potest effer-
ri, rei ac methodi, ratione dicti Numismatis, fere naturalis,
mihi persvadet necessitas, ut prius de ejusdem parte Anti-
ca, quam ad partem progrediar Posticam, iim sollicitus.
Illa enim GRATÆ QUIETIS, Verum Serenissimumque
fistit subjectum, in cujus sempiternam Memoriam, in signe
hoc culum est Numisma cum Inscriptione sequenti AN-
THONIUS ULRICUS D. G. DUX BRUNSVIC. ET
LUNEBURG. Et quamvis Principi Imperii quam ma-
xime sit permissum non solum in loco ubi Cæsarea Maje-
stas

A 2

itas audientiam præbet, adeoq; in facie totius hujus Uni-
 versi, quia

*Astra Deo nil majus habent, nil Cæsare terra
 Sic Cæsar Terras, ut Deus astra regit,*

Sed & in multis aliis locis, in præsentia Cæsaris, Caput
 pileo, acceptæ apud Romanos libertatis signo, Grass.
dissert. de Antiq. Nemans. pag. 199. tegere Befold. *Thesaur.*
Contin. pag. 287. illo tamen in Numismate non fulget, ut
 Ejusdem frontis Serenitas atque Venustas, Pietas ac Justi-
 tia, multorum Serenissimorum præfagiorum, felicia ac
 Serena indicia, universo orbi eo melius appareat.

Interim vero de hoc Pileo Ducali ex Bart. Cassanæo *Cat-*
alog. Gloriæ Mundi. part. 1. Concl. 9. p. m. 15. notatu dignissi-
 mum, eundem circumdatum esse quadam corona rotun-
 da, & non erecta, nec ascendente, in modum Zonæ cir-
 cumdantis pileum, & quamvis Duces Jura habeant Rega-
 lia, eosdem tamen non portare Coronam erectam prout
 Reges. Ac de hujusmodi pilei Ducalis inventionem seu in-
 troductionem pro insigni seu infula, addit, se non videre
 originem, nisi eam, quia cum capiebantur olim servi aut
 captivi, sequebantur duces in Triumpho, & post eum
 deferebant Pileum, ut de Terentio capto à Scipione Afri-
 cano, qui illum sequendo deferebat Pileum in Triumpho,
 ipsius tanquam Ducis, ut refert Quintilianus *in Gladiator.*
de quo meminit Luc. de Penna in l. muri leguli. C. de Muri
leg. lib. 11. Ex quo postmodum in signum hujus Trium-
 phi Duces acceperunt pro Corona, Pileum. Vel dicen-
 dum ipsi videtur, quod hujusmodi mos gerendi Pileum
 per Duces est introductus, ex eo, quod sicut olim Flami-
 nes

nis gentilium, inter alios tanquam Duces & Pastores suorum portabant pileum, in quo erat desuper brevis virgula, habens aliquid lanæ, ut dicit Albericus in *Dictionar. verb. Flamines*. Et ita hodie ille mos remansit nonsolum apud Cardinales, Episcopos & Pastores, sed etiam apud Duces & principes, quod gerunt pileum, in quo est Zona circumdanseum, in signum dignitatis & præminentia inter alios, quia non deferunt Coronam, quæ solum regibus competit. Et hoc quoniam in eo dignitatis Gradus videntur esse duces in secularitate, sicut Flamines in Spiritualitate. Ac sicut pileus tegit, stringit, & gubernat, ideo etiam videtur, quod Dux suos subditos tegere & gubernare debeat, quia præminentiam super alios nonsolum designat, sed insigne etiam libertatis est, quia debent esse liberi apud principem supremum, quam alii, si quidem Servi antiquitus manumissi, accipiebant pileum raso capite *l. unic. §. Sed & qui. C. de Latin. libert. tollend.*

Quapropter etiam ex hisce iisdem rationibus Serenissimo nostro Principi, pileus in Numismate Ducalis, facile potuisset imponi, nisi vultus ipsius Serenitas ac ingens virtutum cumulus ex fronte etiam omnibus bonis innotescere debuisset. Est enim, ut Nazianzeni *Orat. 19. pag. 288.* verbis utar, verus ille bonus ac fidelis patriæ nostræ pastor atque Dux, qui animam pro ovibus suis ponit, quique adest, pascit, deducit ac cognoscit oves suas, & à suis iterum cognoscitur, ac pro grege adversus *lupos* pugrans, nec quenquam prædonum more, ac per *insidias* caulam transfilire atque animas veritate recte institutas peregrina voce distrahere ac surripere sinens. Sic & Eundem Justitia universali, quæ est complexus omnium virtutum,

gaudere ac ornatum esse, Aristot. *Lib. 5. Nicomach. cap. 3.* itidem ex ejusdem Serenisimo vultu facillime colligere licet. Habet enim ex verbis Chrysofomi *homil. LXVI. in Genesin* virtutum thesaurum, qui consumi non potest, thesaurum qui auferri nequit, thesaurum qui nec *hominum insidiis*, nec prædonum incurfu, nec *servorum* malitia, nec aliqua alia ejusmodi re imminui potest, sed qui perpetuo manet. Et quia hanc summopere semper quæsit, cum teste Cyrillo Alexand. *homil. Paschal. XVI. p. 219.* non cuilibet est multis pervia ac facilis, sed laboriosa profus atque ardua ad virtutem via, idcirco apud Deum per scripta est omnis Ipsius Oratio & Psalmodia, omnis Eleemosyna, omne conjugium, ac omnia bona opera. Cyrill. Jer. *Catech. III. XI. p. 135. 136.* porro ex eodem Serenisimo Vultu singularis apparet Fortitudo, qua circa fiducialia & terribilia, ita se gerit ut nec temere audendo, nec prave timendo desciscit. Gregor. de Valent. *Tom. 3. Comment. in th. 22. disp. 8.* ut & Insignis Liberalitas, *μεγαλοπρέπεια*, Magnanimitas, Mansuetudo, Veracitas, & incomparabilis Comitas ac *εὐτραπεία*, cum summa Justitia, qua juxta Potentissimi REGIS Borussiae Symbolum, *Suum Cuique* tribuit. Et quemadmodum apud patres illis tantummodo hoc Justitiæ competit attributum, qui sunt Pii ac fideles, quia ille qui à mala solum actione abstinet non est Justus, nisi præterea fecerit, ut & bene faciat, & cognoscat, propterquam causam abstinendum quidem sit ab his, illa vero sicut agenda. Clem. Alexand. *Stromat. VI. p. 665.* quique sunt innocentes, boni, probi, amantes æquitatem ac rectitudinem, cum Justus sit, pro meritis unicuique Tribuere Nyssenus *Orat. Catechet. cap. 26. Tom. 3. p. 83.* ita etiam Serenisimus Princeps

ceps ex Basilio *Homil.* 22. p. 549. bene novit, eam demum perfectam & omnimodam gloriationem esse in DEO, quando neque propter suam ipsius quis extollitur Justitiam, sed agnoscit se quidem vera destitui Justitia, verum sola in Christum fide justificatum esse. Fideles enim animæ tuam semper in solo Deo collocatam spem habent, eique omnem adscribunt justitiam. Quemadmodum enim palmes extra vitem constitutus exarescit, ita etiam qui sine Christo justificari cupit Macarius *Homil.* 31. p. 423.

Imo Serenissimi hujus Principis, Splendidissimi ac Magnanimi, verbo dicunt, Oculi: *Splendet in ULRICI virtus Heroica vultu.* De Aspectu enim aliquis potest cognosci, & mente præstans facile cognoscitur obviam factus, inquit Sicracides *cap.* 19. Est enim alter *Ulysses*, quem naufragio ejectum in littore nudum vestibus, virtute tamen ornatum Phæacum multitudo conspiciens, cæteris fortunatis Phæacibus venerabiliorum admirata est. Est inquam alter *Traianus*, qui cum Agarenos in urbe quadam ut Dio refert, obsedisset, ejusque muros sine regio ornatu ut hostem falleret, circumjisset, generosa canicies & oris Majestas Principem prodidit, & quis foret in ementito habitu facile ostendebat. Et quidni Eundem alterum etiam *Vespasianum* dicam, de quo Svetonius, quod in puero statim corporis animique dotes exsplenduerint, magis ac magis, deinceps per ætatis gradus, forma egregia & cui non minus autoritatis inesset quam gratiæ. Vere igitur ex Plinio in *Panegyri.* sive *Trajano* dixero; jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis & dignitas oris Principem ostentant, ac cum Veteribus Eidem merito *Pomponii Magni* attribuo frontis honorem, & os probum velut
maxi-

❦ ❦ ❦ ❦ ❦

maximum naturæ munus. Et quemadmodum cauda leonibus, aures & nares equis, animorum indicia præstant, ita etiam Ejusdem Virtutes, dignitates, præ eminentia, ex ipsius oculis quotidie elucet. Habet enim Oculos verè Romanos, qui in prælio Samnitibus ardere visi sunt. Liv. lib. 7. dec. 1. Oculos addo habet *Attile* de quibus milites Aquileienses fassi sunt, se nulla re magis perterrefactos fuisse, quam quod in ejus oculis scintillas veluti igneas, quum pugnans eos fremebundus aspiceret, emicantes conspexerint. Sic etiam nil nisi summa Generositas, Virtus, Scientia, Prudentia ac Justitia ex Serenisimis hujus Principis auribus, naribus, ac reliqua corporis proportione, imo tota Physiognomia elucet, sed instituti nostri ratio non permittit, ut hisce plura addamus, cum ex ipso Numismate etiam plura colligi possint, quam aliquis eloquentia multis ostendere potis est.

Sed ut hisce relictis ad ipsam Numismatis me iterum convertam inscriptionem, necesse erit ut ad ejusdem exornandam uberiorem explicationem, à Pii, Magnanimi atq; Felicis hujus Principis felice exordiar Nativitate, quæ à primo Ejusdem docet Stemmata, optime de Serenisimo hocce Principe dici illud Horatii

*Fortes creantur fortibus & bonis
Est in Juvencis, est in Equis Patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquila columbam.*

Omnia enim de Eodem testantur Historicorum volumina,
Tanti Principis pri nam originem ex Italia à ditissimo, Potentis-

tentissimoque Domino Azone Atestino, Anno 1038. quammaxime florente, promanasse, à quo deinceps pervarias generationes, mediantibus scilicet *Welfis* atque *Henricis*, Anno 1129. *Heinricus Leo* exortus *Bunting Chron. Brunsv. part. 1.* quem tandem Anno 1615. *Fridericus Ulricus* ut & *Ernestus* qui totius Domus *Brunsvic. & Lüneb.* communis stipes, Anno 1447. in secutus est, ex cujus filio *Henrico*, nato Anno 1533. Magnus Germaniæ Heros, ac verum omnium Optimorum Principum Exemplar, imo Miraculum AUGUSTUS Anno 1579. Serenissimus, Clementissimi nostri Patriæ Patris, Domini ANTHONII ULRICI Genitor procreatus. Qui præter hunc Sereniss. principem adhuc duos filios *Rudolphum Augustum*, & *Ferdinandum Albertum*, ac Filiam *Claram Augustam* quam *Lohmeierus* in suis *Tabulis* neglexit, progeniuit. De hisce autem Heroibus cum omnium Historicorum libri sint pleni, nec vires nostræ sufficientes ad conscribendam Tantorum Principum historiam, paucis adhuc monuisse sufficet, Matrem Serenissimi nostri Principis, Serenissimam fuisse Principem, DOROTHEAM Rudolphi Anhaltini filia. Beata vero Ejusdem Coniux Memoriae Gloriosæ, Serenissima ELISABETHA JULIANA, Serenissimi Principis *Friderici Holsat. Nordburg.* filia fuit, in cujus sempiternam memoriam Serenissimus p. n. ceptus itidem post Ejusdem funera, Numisma quodam cudi iussit, in cuius parte priori effigies Serenissimæ Principis cum nomine ac titulo, in altra vero *Palatium* nostrum *Salzdablense*, quod à Patriæ nostræ Benignissima Gratiofissimaq; *Pallade*, quæ Gloriosa Jovis filia, nubii insidente, cælumq;

B

advo-



advolante relinquitur, cum inscriptione DESERUISSE
 JUVAT. cum qua *Fridericum Augustum* Anno 1657. & An.
 1676. prope Philipsburg demortuum, AUGUSTUM
 WILHELMUM An. 1662. ac LUDOVICUM RUDOL-
 PHUM Anno 1671. ut & Elifaberham Eleonoram Anno
 1658. Annam Sophiam Anno 1659. Augustam Dorothe-
 am Anno 1666. ac denique Henriettam Christinam
 Anno 1669. progenuit. Et ex hisce Serenisimis Lineæ
 Brunsvic. Gvelfpherbytan. propagatoribus, cum Se-
 niore demortuo, duo reliqui, Domini mei Clementissi-
 mi adhuc supersint, porro summa atque humillima,
 qua hisdem obstrictus vivo, jubet observantia, ex hi-
 storia Politica porro hisce subjungere, Serenisimum
 Principem ac Dominum AUGUSTUM WILHEL-
 MUM *Cui Numina cuncta favent*, duabus vicibus felici-
 tia contraxisse matrimonia, primum nempe cum Beati
 Serenisimi Patruī RUDOLPHI AUGUSTI Filia,
 CHRISTIANA SOPHIA, alterum vero cum SOPHIA
 AMALIA, Christiani Alberti & Fridericæ Amaliæ Du-
 cum holsat. Gottorff. filia, ex stemmate Regum Daniae
 orta, Serenisimum vero principem LUDOVICUM
 RUDOLPHUM, qui veluti *Mars strenuus ignea vel vis*, Serenisimam Principem CHRI-
 STINAM LOUISIAM, filiam Ducis Ottingensis Albrechti Ernesti Anno 1690. duxisse. Et hæc Tyrrhena
 Regum Progenies, cujus Clementissimo Patrocinio
 me iterumque commendo. Tutius enim adversus
 malevolos invenire non possum, quapropter etiam
 persvasum habeo, uti in omnibus virtutibus Heroicis
 Serenisimum suum Genitorem qui Literatorum sum-
 mus

❦ ❦ ❦ ❦ ❦

mus Moecenas, serio imitari conantur, ita eosdem etiam suum patrociniū atq; Gratiam minime mihi denegaturos.

Porro jure quidem ad Serenissimi horum Principum Domini Parentis confugere deberem Nomen, ANTHON. ULRIC. ibique pro quibuscunque meis viribus ostendere, quomodo Serenissimus hic Princeps tam felicitis *Antonii Prætoris*, quam *ANTHONINI Pii*, ut & *Anthoini Philosophi* vera imago, dum hicce etiam non solum fratri *L. Vero* mutuam in administrando Imperio tradidit operam, rebusque humanis exempto *Vero*, ad Eundem summa rerum devoluta, sed & mirabilem hic & alibi *constantiam* præstitit, qui sui ibiq; similis, ad nullam unquam insolentiam deflexit, nec minorem tranquillitatem cum vultu nec mœrore nec gaudio mutavit, utrobique ab eruditione multum adjunctus, cui etiam in bello Marcomannico Subsidium non ab armis Romanorum, sed à precibus in legione Melitana Christianorum ex inopinato affulsit, quæ lenes pluvias ad refocillandos Romanos horribilia flumina imbresque ad propulsandum Marcomannum impetrarunt, ex quo maximus Christianis honor habitus, legionique fulminatricis nomen datum, Pareus *Medull. Hist. univers. profan. p. 410.* ac proinde rebus humanis Beatissimo Principe Dn. RUDOLPHO AUGUSTO erepto optime quondam in Panegyri dictum:

*O fratres bini corpore, mente pares
Immo unus! manet illa pio clementia civi
Et manet exili pro grege larga manus.
Et vultus remanet Titane Serenior ipso
Vultus tristitiæ nubila cuncta fugans*

*Vos quoque subducto nolite dolere Patrono
 Augustus vobis, Flacce Maroque, manet
 Divisit binus sese in tua commoda Princeps
 Hic cælum moriens occupat, ille solum.
 Alter pro nobis orat, alterque laborat
 O! felix duplici nunc quoque terra Duce!*

Sed sufficeat innumerabiles fere Historicorum libros,
 hætenus, Virtute, Prudentia, Fortitudine ac Erudi-
 tione Superiorem nondum ostendisse Principem,
 etenim de EO HORAT. Carm. L. I. Od. XII.

*Nil majus generatur ipso
 Nec viget quicquam simile aut secundum.*

Propterea ad Titulum potius Inscriptionis
 Numismaticæ progredior sequentem, qui DEI GRA-
 TIA audit, & quamvis Carpzovius *Comment. ad Leg.
 Regiam. Cap. 3. Sect. 13. n. 6.* ad exemplum fortassis Regis
 Galliæ, cui itidem hæc Epigraphe tantummodo, teste
 Monfr. de Serres *Inventar. General. de l'histoire de France,*
 competit, ita ut alius regni Princeps sine crimine Maje-
 statis eadem uti non possit, existimet, hunc Titulum soli
 Imperatori competere, nullius tamen adducta Eiusdem
 momenti est ratio, cum ille metipsè fateatur Imperato-
 rem mediantibus Electoribus regnum accipere, ac
 proinde non à Solo Deo, sed reliquis etiam Imperii sta-
 tibus in Imperatorem creari, hincque non alio sensu,
 quam quo reliqua Imperii Membra, permissivo scili-
 cet, teste Ottone I. in Epist. ad Romanum Pontificem
 apud Galdastum *Com. i. Const. Imper. p. 220.* qui respec-
 ctu divinæ clementiæ Imperatorem se dixit, Eundem
 hocce uti posse Titulo. Nulla etenim hac in parte
 Ducum

Ducum atque Imperatoris est differentia, cum utro-
 rumque potestas sit à Deo *Rom. 13. 1.* ipsisque vel me-
 diante Electione vel Successione conferatur. Interim
 miror Carpzovium *l. c.* scribentem, Imperatori alio
 sensu Titulum DEI GRATIA debere attribui, quam
 quo reliquis Imperii Membris, cum tamen porro in præ-
 cedente *Cap. 1. Sect. 16. n. 14.* dixerit: Etsi potestas eli-
 gendi Imperatorem penes solos Electores residet, at-
 tamen eosdem quicquid in electione ajunt, id nomine
 reliquorum Principum totiusque populi agere Nic.
 Cusan. *de concord. Cathol. lib. 3. cap. 4.* illorumque Ele-
 ctionem habendam esse, ac si à tota Universitate Prin-
 cipum & Populi à quibus potestas in ipsos fuit collata fa-
 cta fuisset. Et quamvis putet ipsam Ducalem Dignitatem
 conferre solius esse Imperatoris, ultimæ tamen Capitu-
 lationes Leopoldi art. 39. & Josephi aliud svadent, in qui-
 bus meliori vinculo hæcce Imperatorum libertas,
 quam Procerum negligentia paulatim sibi arrogarunt,
 coarctata verbis sequentibus, *Wir sollen und wollen auch
 in wichtigen Sachen, so das Reich betreffen, und von ho-
 hen Präjudic und weiten Aussehen seyn, bald Anfangs der
 Chur- Fürsten auch nach Gelegenheit der Sachen, Fürsten
 und Ständen Rath- Bedenckens uns gebrauchen, und ohne
 dieselbe hierinnen nichts vornehmen.* Quamvis Auctor,
 Der Gedancken über die Käyserlichen Mandata wvelche in
 Ertz- Stiff Colln und Hochstiff Lüttich publicirt worden
 nimis audacter asserat, daß der Käyserliche Hof eine
 unumschrenckte Gewalt über alle Reichs- Fürsten sich zu-
 eigne, indem er sich gegen diese dergleichen Anmassun-
 gen gebrauchet, davon man im Reiche noch niemabls eini-
 ges Exempel gesehen hat.

Hincque fere dixero, illis, qui ex mera successione regna tuentur, potius ex dicta ratione, quia scilicet à solo Deo Imperium habent, huncce attribuendum esse Titulum, nec eodem contradicentelicet Matt. Stephan. *de Jurisdic. lib. 2. part. 2. cap. 7. n. 40.* Imperii Principes vel ex singulari privilegio vel ex longissimi & immemorialis temporis observantia, sed jure decorari.

Quapropter etiam Hi in suis edictis atque Rescriptis non minus quam Imperator & alii Reges Superiorem non recognoscentes, utuntur hisce verbis: *Wier von Gottes Gnaden*, quasi Soli Dei Gratia suum Principatum acceptum ferre velint. Omnia enim Principum ornamenta, subsidia atque regna non aliunde sunt quam à Deo, & ad hunc iterum omnis Principum Sapientia, Gloria, Fortitudo, Defensio, Victoria Prosperitasque referenda, adeoque illis hisce non invidendus est titulus, qui potestatem sibi concessam à Deo receptam agnoscunt, sed illis potius qui viribus quasi propriis divinitatem sibimetipsis tribuunt ut de Alexandro, Justinus *lib. 11. n. 11. Speidii. Specul. 519. Besold. Thesaur. Pract. Contin. p. 246.* Præterea etiam notum quam quod notissimum, Principes Imperii non proprie dici subditos Imperatoris, sed potius & verius Imperii subditos & membra, ita ut Imperator solus ob delictum aliquod eos beneficiis & privilegiis privare aut Imperii banno subicere non possit, nisi re in Comitibus Imperii publice deliberata, reliqui ordines calculis suis capitalem hujusmodi Sententiam, in consortem tuam ferendam comprobaverunt Nic. Betsius *Tract. de Pact. famil. cap. 8. p. 448.* verissimeque Erasmus
Rotero-

Roterodamum Cardinali Campego scripsisse, magnam quidem esse Caroli V. Cæsaris potentiam sed hoc nomen non ab omnibus agnosci, Germanos vero qui agnoscerent, illud sic agnoscere, ut imperent verius quam pareant Joh. Sleidan. *lib. 7. histor. wolff. Lect. rer. memorab. cent. 16.* ipsumque Carolum V. sæpius esse professum, se aliis in regnis mancipiis & servis, at in Germania liberis & regibus imperare Kirchner *de Repub. disp. 12. Corol. 8.* hocque ipsum esse quod Sleidanus *Orat. ad Proc. Imper. p. 80.* consignavit: Quot in Germania sunt Principes ac Civitates, totidem videri esse Reges & capita Carpz. *Comment. ad Leg. Reg. Cap. 13. Sect. 2. n. 9. & Sect. 6. n. 35. 36.* ex quibus omnibus satis manifeste apparet, Proceres Imperii optimo jure in suis Epistolis atque Edictis hacce uti locutione *Wier von Gottes Gnaden.*

Non enim nudi sunt Imperii Vasalli sed Archontes quorum duplex est potestas, una quæ consistit, in personis ac rebus ditionum suarum, quas ut provinciarum ac locorum certorum Imperii Domini ac possessores obtinent, altera vero in totius Imperii Romani administratione consistit, quippe quod Jus statuendum Imperatore, adeoque Jus Sessuræ ac dicendæ sententiæ tanquam Optimatis Reipublicæ in comitiis Imperii habeant. Et quamvis in Reformatione Friderici III. Imper. de Anno 1442. in ordinatione cameræ antiquiori, & in Constitutione Maximiliani I. de pace publica de Anno 1495. consilii tantum mentio fiat, in novissimis tamen Imperii legibus etiam Consensum expresse notatum invenimus, ut in Recessu de Anno 1500.

1500. 1512. 1521. & in aliis semper fere hoc clausula conspicitur adjecta *und haben wir uns mit den Ständen, und sie sich hinwiederum mit uns verglichen* Pauermeist *de Jurisdic. Imp. Rom. lib. 1. cap. 4. n. 39.* Arumæus *de Jur. Publ. vol. 4. disc. 43.* Potestatem ergo summam quia status Imperii cum in Imperio habent, etiam Majestatem una cum Imperatore tenent, cum majestas sit & definitur summa potestas Arnif. *de Majest. c. 1.* Bod. *de republ. lib. 1. cap. 8.* Quamvis igitur hiece loquendi modus non receptus, quod Imperator, Dei ac Imperii Gratia talis sit, dicatur, tamen veritas illud ubique docet, quia omnis Majestas tanquam individua penes Imperium seu omnes Ordines, quatenus illi junctim considerati, unum corpus constituunt, residet. Hippol. à Lapid. *de Rat. Stat. part. 1. cap. 3. sect. 1 p. m. 38.* Et ut in specie, salva tamen reliquorum Imperii Procerum Auctoritate ad nostram iterum, Clementissimi nostri Domini ac Principis descendam inscriptionem, peculiaris adhuc in Ejusdem Præminentiam est ratio, quare hocce Titulo optimo jure gaudeat. Posteaquam enim Schurtzfleischius *dissert. de Henr. Leon.* ex firmissimis comprobavit rationibus, Successores Henrici Leonis ante Ottonem Puerum, suas regiones sine ulla ullius Superioris possedisse recognitione, nullus amplius dubitabit, quin vi adnatæ Majestatis, Serenissimo etiam nostro Principi, hiece omni jure competat Titulus, siquidem tantum valet in suo Territorio quantum Imp. in Imperio Cravett. *Conf. 135. n. 2. conf. 404. n. 1. conf. 983. n. 1. Zaf. conf. 1. n. 21. vol. 2. Wesenbec. conf. 23. n. 20. Castrens. conf. 34. vol. 2. n. 2.* Et ex eadem hac ratione, à reliquis etiam

etiam Germaniæ Principibus recte hæc usurpari verba, non vero ex privilegio quodam, uti Besold. putat sed ex jure proprio & quidem ratione suorum Principatum, quos non muneris seu administrationis, sed Domini Jure, proprioque Marte habent cum Knichen *de Sublim. & reg. territ. Jur. c. 1. n. 353.* affirmamus.

Ultima Anterioris denique Numismatis Inscriptionis verba sunt: DUX BRUNSVIC. ET LUNEB. & ex historia notum quam quod notissimum, laudatum jam Ottonem Puerum AN. 1204. à Parente Henrico Juniore natum, optimo jure quidem, Militem Cæsareum Friderici II. Anno 1227. ex civitate Brunsvicensi expulisse, sed postmodum cum Eodem iterum in Gratiam rediisse, ac à dicto Friderico II. tandem 1255. primum Domus Brunsvico Lüneburgicæ Ducem esse dictum, sicuti ex Diplomate Investituræ apparet.

Cæterum ex Isidoro *Etymolog. Lib. 9. Tit. de regn. & milit. vocab.* aliisque, de Ducibus ingenere notari meretur, Duces ab Exercitu Ducendo dici, ac Germanicum illud *Herzog* idem esse, ac *Ein Heer des Zuges, der einem Heer fürzeucht, oder einen Zug mit dem Heere* thut Borcholt. *de feud. Cap. 6. num. 21.* Et Carpzovius *Comment. ad Leg. Reg. Cap. 3. Sect. 13. n. 24.* docet, Duces quondam Magistros Equitum fuisse, sed sub Imperatoribus postea Duces à Ducendo Exercitu vel quod Domini Exercitus essent, dictos fuisse. Fauchet. *de L'origine de dignités & Minist. de France lib. 2. chap. 2.* & quamvis antiquitus illi etiam Duces vocati, quibus pars Imperii ab alio Superiore demandata erat. Cicero. *lib. 3. Offic. l. conventionem 5. ff. de Pactis.* vei etiam
C
qui

qui summum obtinebant Imperium Cicero *pro Marcello* Hottoman *de feud. verb. Ducēs* ejus tamen qui Exercitum ducit, veram & propriam esse denominationem, unde etiam nomen accepit *l. 2. c. de Offic. Prof.* Appellationis Ducis igitur originem quod attinet, eam ab Exercitus Romani Ducibus originem traxisse, tradit Zafius *Epist. feud. p. 5. n. 6.* quos à Romani Imperii principibus territoriis, ob bene merita in Rempubliam Romanam collata, donatos esse verisimile est, ita tamen ut illi ab hisce eas recognoscant. Alvarot. *in c. 1. de nat. feud. Lancelot templ. omn. jud. lib. 1. c. 4. n. 4.* hodie vero Ducum nomina non amplius ut olim muneris & administrationis, sed patrimonii nomina sunt, & quamvis superiorem recognoscant, tamen pro Præsidibus ac Dominis provinciarum habentur, tantumque in suis territoriis, quantum Imperator in Imperio possunt. Arumeus. *Jur. Publ. vol. 3. p. 488.* Arnold. Engelbrecht *de Jurisd. Imper. thes. 123.* Et de hisce Ducibus refert quidem Vultejus *lib. 1. F. c. 4. n. 14.* inter Ducēs, qua Ducēs & status Imperii sunt, nullam esse differentiam, cum antem primo ordinem in sessionibus admitat, deinde vero alii Ducum sunt simpliciter tales, alii vero Imperii, quorum quatuor numerari solent, Brunsvicensis, Baviaræ, Sveviæ, & Lotharingiæ Onuph. Panphin. *de Comit Imperat. cap. 13.* quique post VIII. Elector. ordinationem ex omnibus ordinibus, singulari quadam dignitate atque Excellentia, ad Romani Imperii augendam majestatem ejusque dignitatem tuendam per gradus quaternario numero sunt distincti atque electi, ut sicut quatuor

quatuor sunt Laici Electores, sic etiam quatuor Duces, quatuor Marchiones, quatuor Landgravii, quatuor Burggravii, quatuor Comites, quatuor deinceps Barones, Nobiles, Milites, Civitates, Villæ & Rustici essent, haud video quare manifestam hanc Ducum differentiam nonnulli respuant. Præprimis cum Archi Duces Austriae, majorem cæteris Ducibus dignitatem habeant, quorum nomen *nec ante eos, nec post eos aliis unquam tributum* fuisse quidem putat Carpzovius ad *Legem Regiam* sed in signem hunc iterum esse Carpzovii errorem inde patet, quia Hertius *Commentat. Tom. 2. p. 87.* ex optimis ostendit auctoribus jam olim Brunonem, Ottonis M. fratrem, Archiepiscopum Colonensem, & Duces Carinthiæ eodem usos fuisse Monachus. Nussiensis *Chron. Belg. magn.* Sigebert. Gemblacensis ad Ann. 959. *Gewoldus de Septem viris c. 2.*

Et hæc de differentia Ducum in genere, quibus porro accedit, in signis etiam illa Ducum Brunsv. Lüneburg. differentia, qua itidem ratione Primogenituræ quammaxime differunt. Ex historia enim notum est Serenissimorum Ducum Brunsvico Lüneburgicorum lineam Gvelpherbytanam ab Ernesti filio natu Majori Henrico, alteram vero Lüneburgicam ab ejusdem filio natu minori Wilhelmo descendere, illiq; omnes proinde jure competere dignitates, ac successiones quæ partim in alios jam collatæ, partim vero sibi adhuc hodie tribui curant. Cum enim sub voce Primogeniti non solum filius primogenitus, sed etiam omnes ex eo descendentes dicantur *Molin de Hispan.*

Primogenit. lib. 3. cap. 6. n. 29. nullum amplius super-
 est dubium, quin hodiernis Dominis Clementissimis,
 in omnibus dignitatibus prærogativa quædam com-
 petat, Rauden *var. resol. 44. n. 88.* Tiraquell. *de Jur.*
primogenit. in præf. n. 3. Linea Primogeniti enim vin-
 cit lineas ultro genitorum Fontanell. *decif. 34. n. 3.* Va-
 lenzuel. *conf. 95. n. 13.* quia linea primogeniti, omnes
 alias lineas excludit, usque quo deficiant omnes ii,
 qui ex ipsius primogeniti linea processerunt Bald. *in l.*
cum antiquioribus. C. de jur. delibr. n. ii. cum primoge-
 nitus secundo genitum ejusque descendentes perpetuo
 excludat. Velasc. *decif. 17. n. 10.* Rolan. *conf. 39. lib. 4.*
 42. Quapropter etiam in Regnis ac Principatibus pri-
 mogenialis successio adeo propria est, ut dicatur coæ-
 va cum ipsis regnis & principatibus, quod probatur
 nedum ex Juris Civilis dispositione de qua in *l. 2. §.*
novissima. ff. de Orig. Jur. sed etiam ex præscripto Ju-
 ris divini, & naturalis rationis, gentiumque constitu-
 tione & hominum consuetudine Joh. le. Cirier *de pri-*
mog. concl. 3. quest. ii. n. 13. Lara *in Compend. vit. hum.*
cap. 12. n. 33. Persius apud Livium *lib. 40.* & quod om-
 nium fere gentium & populorum consuetudine sem-
 per fuisse & adhuc esse inviolabiliter observatum ut
 natu majores in his quæ dignitatis sunt cæteris præfe-
 rantur affirmarunt Petr. Gregor. Tholos. *de Republ. lib.*
7. cap. 5. Martin. Rauden. *de primog. quest. 8.* Acquam-
 vis hæc Primogenituræ Jura per Pacta Domus & Le-
 gem Unionis non nihil immutata, ratione dignitatum ac
 Præogativarum tamen ac respectu Senii adhuc sancte
 observanda, nisi injusto ausu violari debeant. Hinc Sere-
 reniss.

niff. Patres Patriæ ac Principes dn. **RUDOLPHUS AUG.**
 & dn. **ANTHONIUS ULRICUS** in Eorum *Verwahrungs-*
Schrift betreffend die von Hause Hannover belangende
 Chur wurde de Anno 1692. expresfis allerunt verbis:
 Sie hatten sich denen Rechten und der Billigkeit nach wol
 versehen, man wurde darbey die Pacta dieses ubralten
 Gesamt-Hauses, und die darinnen fundirte Jura præci-
 pua consideriret, und sie als eben bürtige mit so naher
 Bluts-Freundschaft verbundene Mit-Glieder bey solcher
 Haupt-Veränderung mit sich führenden grossen Sache in
 specie ob und wie weit sie darbey concurriren können
 und vollen, und sonstn hiemit ihrer Nothdurfft vernom-
 men, oder doch zum wenigsten ihnen noch so viel Genoss
 der Rechte gegönnet haben, daß ihnen darüber wie allen
 fals die Pacta Domus & Lex Unionis in specie die ju-
 xta ordinem senii alternirende Digniteten und Præro-
 gativen ohn violiret zu erhalten genungsamme Garantie
 vorher ware beschaffet worden. Gleichwie aber mehr
 hochbesagte Herren Hertzoge bey so beschwerlichen Um-
 ständen, und da sie bey dieser Sache ohnverschuldeter mas-
 sen so gar negligiret, aus aller reflexion gesetzt, und
 so wol von communication des Vorhabens als dessen
 Vollstreckung ausgeschlossen, nunmehr wenigstens dahin
 bedacht seyn müssen, wie sie sich und ihre Posteritet ziem-
 lich salviren, und gegen alle besorgende Vorgriffe ver-
 kleinerliche Tractament und Bedrohungen auf zulassige
 Wege præserviren mögen, und sie dann von der Rö-
 mis Käyserl. Majest. sich versichert halten, dieselbe ver-
 den nach dero zarten Gewissen, und vor der gantzen
 Welt bekandten Liebe zur Gerechtigkeit nicht gemeinet
 C 3
 sey,

sey, jemanden dem Tertio zum Præjudic und Nachtbeil zu beneficiren, und geschehen Zulassen, daß durch ein solch accident der Status und die Jura dieses Ubralten Hertzoglichen Gesamt-Hauses verändert, und sie in dem Genos der alten Rechte gekräncket vverden sollen; also finden sie sich zum höchsten gemüßiget gegen den et-
wa bevorstehenden Actum Investituræ Electoralis mit dieser solennen Protestation de præservandis juribus ex Pactis Unione & Observantia Domus quæfitis sich und ihre Posteritet zu vervvahren, und daneben öffentlich zu declariren, daß, so viel die pacta Domus, dessen Union und alle daraus resultirende effectus und deren obn unterbrochener richtige Observanc betrifft, sie keine Chur vwürde und Præminenz in Domo erkennen, noch in regard solcher neuen Dignitet von des Hauses alten Rechten und deren völligen Genos nicht das allergeringste nachgeben, sondern sothaner annehmenden Chur vwürde ohngeachtet, bey ereugenden Fällen aller und jeder juxta ordinem senii alternirenden Dignitet und Prærogativen in Empfehlung der Reichs gesamt Lehn, in Directione Confiliorum Domus, in Übernehmung der Reichs deputationen und exercirung des Con-Directorii in Niedersächsischen Creyse, und vvas sonst die bisherige observanz im Hause desfals mit sich führet, sich jdesmahl cum effectu annehmen, dabey sich auf alle zu Recht erlaubete Weise und Wege conserviren, und nicht den allergeringsten Vor- und Eingriff darinn leyden vvollen.

Et de hacce tam generali quam speciali Ducum differentia, quam plurima adhuc hisce possent subjungi notatu dignissima, nisi instituti nostri ratio nobis posticam

posticam Numismatis ostenderet partem, cujus suprema
 inscriptio GRATA QUIES, tanto scilicet Principe digna. Est enim illa summum illud hujus ævi bonum, quo soli boni gaudent, quamque Israelitis olim Deus T. O. M. promisit, Deut. 12. 11. 12. acalibi, Quemadmodum enim in hoc Scripturæ loco duplex apparet QUIES, quarum altera in tranquilla & pacata terræ Cananæ possessione, qua post longam expectationem & diuturnos labores, tandem frui sunt Deo morigeri, cum Deus jurasset, immori geros, qui ab ipso defecerant, atque in Ægyptum animo redierunt, nunquam eam ingussuros quietem; altera vero in fruitione divinæ præsentiae ad arcam dein in Templo, & publico ac solenni cultu divino consistit. Hammond. *Annot. ad Hebr. III. 11.* ita etiam sub dicta Serenissimi Principis ac Domini GRATA QUIETE adem intelligi, ipsa rei veritas omnes omnino facile docebit homines, si recordentur, *Districtum* huncce *Saltzdahlensem*, esse terram illam quam Jehova Deus noster elegit, ut nomen illic mansurum colloset. Quapropter etiam eo quæcunque quæ Deus Ipsi præcepit adduxit Holocautomata, Victimæ, Decimas Oblationes & electissima quæque votorum suorum quæ Jehovæ fovit. In Altissimi enim laudem, honorem atque Gloriam, Splendidissimum ibidem magnis sumptibus exstructum est *Cænobium*, quo omni die devotissimarum Virginum holocautomata, oblationes & immaculata Cordis victimæ, Deo pro securitate Patriæ, Ipsi Principis ac Domini Fundatoris Serenissimi, ut & pro salute omnium subditorum, ac universæ religionis Christianæ

Itianæ quæ neq; Pauli neq; Petri aut Apollinis, sed illorum
 qui sunt θεοφόβοι καὶ λαμπροὶ διὰ τῆς δόσεως παρὰ χριστοῦ χάριτος
 Cyrill. Alexandr. *Lib. IX. in Job. Cap. II. p. 788.* Deo
 offeruntur. Et quemadmodum Ecclesia quæ Christi
 καθολογηθεῖσα νύμφη optime à Theodoreto *ad II. Cor.*
II. 2. p. 250. Virgo appellatur, ita etiam hæc hujus
 Cænobii Salzdahlensis Virgines, tales Deo unice dicatas
 consecratasque recte dixerit Theophyl. *in I. Cor. VII.*
pag. 220. Proprie enim Virgo nominatur ἡ ἐκουσίως ἑαυτὴν
 προσαγαγούσα τῷ Κυρίῳ καὶ ἀποταξαμένη τῷ γάμῳ καὶ τὸν ἐν
 ἀγιασμῷ βίον προτιμασασά Basilii *ad Amphiloeb. Can. 18.*
p. 767.

Sic etiam ibidem Splendidissimum Dei, *Tem-*
plum, Arca atque *Domus* prostat, qua Serenissimus
 hic Princeps cum Filiis ac Filiabus, Servis ac An-
 cillis, ut & Levitis suis coram Jehova Deo suo
 lætatur, & est Hierosolyma illa de qua Deus
Psal. 115. inquit: *Hic est quies mea, hic habitabo.*
 Imo nova hæc fere illa terra est, & sancta Civitas,
 Jerusalem nova descendens de Cælo à Deo parata,
 sicuti sponsa ornata viro, ac tabernaculum Dei cum
 hominibus ubi habitabit cum eis. Habet enim hæc
 Domus claritatem DEI, & lumen ejus simile lapidi
 pretioso, tanquam lapidi Jaspidis, sicuti crystallum,
 nec sole eget nec luna ut luceant in ea, nam claritas
 Dei illuminavit eam, & lucrum ejus est agnus, & Re-
 ges Terræ gloriam suam & honorem, sicuti ante annum
 adhuc à Potentissima Majestate REGIS BORUSSIÆ fa-
 ctum, afferent in illam. *Apoc. 21.* Accum Teste Theo-
 doret. *ad Psalm. 83. 6.* ille beatus dicendus, qui semper
 curæ

curæ divinæ est compos, quique divina gratia mentem habet illustratam & semper pias cogitationes in ea revolvit, omni certe jure *Grata* hæcce Serenissimi Principis *Quies* beata prædicanda, quia comprehensio quædam omnium earum rerum, quæ nomine Summi boni intelliguntur, à qua nihil abest eorum, quæ pertinent ad bonorum desiderium atque cupiditatem Gregor. Nyss. *Orat. I. de Beatitud. Tom. I. p. 764.* Conseruet igitur Deus T.O.M. custodiat atque protegat *Gratam* hanc Serenissimi Principis *Quietem*, ut itidem in omni pietate atque quiete porro coram Jehova ambulare possimus.

Porro sub hac inscriptione, primo apparet incomporabilis ille *Hortus* in cujus fine Parnassus cum Musis ac Pegoso sub forma humana lapide excisis, à latere habitaculum *Hieronimi*, in medio autem varii fontes, Aquæductus, atque statuæ splendidissimæ artificiosissimæque apparent, cum quibus multifaria olera ac legumina, aromata, arbores, herbæ atque flores certant, & cum instituti nostri ratio, temporisque angustia non permittat, ut de hisce omnibus in speciemus solliciti, quia non unum hic labor requirit annum, paucis dicam, hodie varios quidem Italiæ, Urbis Romæ, Galliæ, Angliæ ac Germaniæ celebrari hortos, dubium vero esse, an cum *Horto Saltzdablensi*, *Hortus* Episcoporum Salisburgensium, Sclaccowerdensis, Heidelbergensis atque Eichstadiensis. Basil. Besler *Hort. Eichstad. Zeiler Topograph. Bavar. p. 95.* aliquo modo possit comparari. Acidem de ipsis fontibus & Aquæductibus fere dixero, nam quamvis Julius Cæsar opus quoddam inchoavit quod peractum à Claudio, fere

fere omnis terrarum orbis miracula superavit, quando aquæductus à quodragesimo urbis lapide, tantæ altitudinis exstruxerunt, ut in omnes urbis montes levarentur, & ut aquæ abundarent in publico, in piscinis, in balneis, domibus, Euripis, hortis suburbanis & villis Plin. *lib. 36. cap. 15.* Rosinus *Antiq. Rom. lib. 1. c.* In Toleto etiam Aquæductum, nobile Janelli Tariani Cremonensis opus videas, qui hydraulica machina magna versatili rota aquas ex Tago ingenti impetu per tubas ductiles in editissimam urbis partem pertraxit, unde in multos rivulos insigni civium commodo distribuuntur ubi lanificio sericoque vitam quarunt hominum fere millia decem Paul. Merula *Cosmograph. p. 2. lib. 2. cap. 20.* Extra Fessæ urbis mœnia etiam rotæ aliquot admirandæ magnitudinis sint, quæ aquam è flumine supra mœnia civitatis in quosdam canales mittunt, unde per certas canaliculas in templa, hortos, palatia aquæ effunduntur, quæque in tanto aquarum impetu quater tantum & vigesies, die ac nocte voluntur Joh. Leo African. *Descript. African. fol. 364.* nihil tamen artis, nihil ingenii, nihil prætiositatis, admirationisque in hisce omnibus invenies, quod *Aquæductibus Salizdalensibus* itidem jure non tribuas.

Et hunc denique Serenissimi Principis excipit Hortum, ipsum *Dueale Palatium*. Quod si vero innumerabiles hujus Palatii Curiositates, Præciositates, picturas, Specula, Subsellia, statuas, ac reliqua cum pretiosissimis aulæis mobilia enumerare velles, Herculeum certe perageres laborem, cum sui simile in
Germa-

Germania non agnoscant ac proinde omnes omnino homines in sui admirationem trahat. *Ebur enim atque aurum in hac venidet domo* Horat. *Carm. lib. 2. Od. 18.* ac *Trabes Hymettiae premunt columnas ultima recisas Africa* & ut verbo dicam ex Horatio *Carm. lib. 3. od. 20.* est

*Monumentum aere perennius
Regalique situ Pyramidum altius
Quod nec innumerabilis annorum
Series vel fuga temporum diruere potest.*

Imprimis vero omnium tam Antiquissimorum quam recentiorum Celeberrimorum Auctorum, Michael. *Angeli*, Raphael *Urbini*. Albrecht *Durer*, Titiani *Ucelli*, Antonii *Tempeste*, Virgilii *Solis* aliorumque in hocce Palatio ingeniosas, rudes, Jucundas, honestas utiles atque celebres inuenies picturas, quam immunerabilem fere multitudinem Serenissimus noster Princeps ad exemplum *Attali* Regis, qui unam Aristidis Thebani pictoris tabulam 6000. coronatis æstimavit Drexel. *Aurifod. p. 249.* *Julii Caesaris*, qui Duas tabulas *Medeam* & *Ajacem Timomachi* in templo veneris Genetricis dicaturus 48000. coronatis pretio emit *Plin. lib. 7. c. 38. & lib. 35. c. 4.* ineffabili comparavit pretio. Est enim genuinus ac verus *Rudolphi* Imperatoris successor, de quo *Bornit. Tr. de rer. sufficient. c. 93. p. 203.* refert, quod intelligentia artis pictoriae omnes terrarum Reges atque Princeps superaverit, ac undique locorum præstantissimas picturas magno pretio emerit. Ac licet apud *Turcas* capitale sit cum

penicillo rem naturalem adumbrare Bodin. *de Rep. lib.* 3. c. 8. Hæbræi autem sordidam hanc artam esse existiment, quamvis imaginum usus quarumvis, iisdem non interdictus *Exod. 20. 4.* Origin. *contra Cels. lib. 4.* Berneger *Idol. Lauretan. demolit. p. 28.* liberalibus artibus tamen olim annumerabatur, ita ut servis ea esset interdictum Plin. *Hist. Nat. lib. 35. c. 10.* quia recta ratio & lex hanc artem semper magni fecit *l. archiatus C. de Metat. & Epidem. lib. 12. t. 41. l. ult. C. de excusat. numer.* quare etiam ipse Imperator Justinianus eandem inter modos acquirendi dominium retulit. Et cum principes Romani, Tacitus *Annal. lib. 4.* non minorem suis imaginibus atque statuis tribuerint Majestatem, ita ut iisdem cultum adorationis fuisse exhibitum ex Gregor. Nazianz. *in Julian. Orat. 1.* non obscure colligere liceat, Plin. *lib. 3. Epist. 7. & lib. 4. Epist. 27.* non possum quin humillimum meum cultum ac reverentiam, erga Serenissimi Principis Domini mei Clementissimi Imaginem, atque Umbram itidem omni deveneratione contester, hæc enim Subditorum Asylum Augustum, quæ perinde atque Ecclesiæ suam confugis, immunitatem præbet. *l. 1. §. 1. de offic. præf. urb. ff.*

Dereliqua Palatii hujus opipera, pretiosa, aurea atque argentea suppellectili nil addam, cum *Bonfinio* quodam iterum materiam ad integrum conscribendum volumen præbere possit, ac ex omni angulo monstroræ hujus Principis divitiæ suos radios emittant, & in hoc suppellectilis nitore, nec uni Hollandiæ palmam concedant negotiatores. Siquidem in compendio quasi Beluedre Altobrandini, Borgeforum, Ludovisiorum,

rum, Toscanum, Medicorum, Gætanorum, Barlarini Pontificum in Monte Quirilani, Matthæorum, Mazarrini, in hoc videre licet Palatio Splendidissimo. Sic nec de Aulæis plura dicam, etenim illæ, quas Beata Serenissimi nostri Principis Conjux Gloriosæ memoriæ propria manu confecit, omnibus aliis ingeniosissimis, splendidissimis, artificiosissimisque palmam jam dudum præripuerunt. Nec ullum dubium quin si Vulcanus atque Neptunus cum divina nostræ Patriæ Pallade de artificiiis iterum certarent, Eandem & hosce omnes in omni artificiorum genere superaturam, quia omnes etiamsi ex rejectissimis totius universi locis veniant fateri coguntur, se similes aulæas nunquam vidisse, nec unquam visuros credere, quales Serenissima Princeps *Astrorum decus, clara letitiæ Mater* propriis manibus fecit, adeoque de Eadem optime dicere olim licuisse illud Ovid. Melam. lib. 6.

*Pallade placata Lanam mollire puellæ
Discant: & plenas exonerare telas
Illa etiam stantes radio percurrere telas
Erudit, & rarum pectine densat opus.*

Hanc colo

Posteaquam vero ex bene promerita pœna Deus T. O. M. Benignissimam Clementissimamque hanc Patriæ nostræ Matrem suis subditis eripuit, cum Poeta ingemiscere cogor,

*Et qui tacebo. Lumen haud nobis Dei
Licet misellis amplius quod cernere.*

De illa enim olim quidem ex hymno Orphei in Adonim dicere licuit

D 3

Qui

*Qui cunctis alimenta refers, prudentia cuius
Plurima; qui vario lateris nomine Adoni*

Hodie vero proch dolor valet illud Poetae

*Qui modo sub terris habitas & tartara nigra
Frugiferumque refers in caelum corpus & idem.*

Sic etiam est perfecta Exoticothamia qua varia ac innumerabiles fere res ex orbe peregrino advectae adservantur quaeque ad aspectum Pulchrum Magnificentiamque comparata. Est inquam haecce Basilica, alterum Palatium Antiochenum Theodoret. *Histor. lib. 4. c. 26.* Constantinopolitanum, Daphnense, Heraclien-
se, Mediolanense Mamertin. *Genethl. Maxim.* Trevirense ac Narbonense Sidon. *Carm. 13.* Domus nempe Augusta, divina, Sacra, Dominica, atque Sancta, in usum Serenissimi Principis comparata, & a communi privatorum habitatione excepta *l. nulli Judicum. 14. C. de Offic. Rect. provinc.* cujusque exaedificatio regalis Arnif. *de Majest. lib. 3. cap. 5.* Pet. Sarpus. *de Jur. Asyl. cap. 5. §. si persona* ibidem enim panditur domus omni potentis Olympi Conciliumque vocat Divum pater, atq; luminum rex sideream in sedem terras unde arduus omnes castraque Dardanidum aspectat populosque Latinos Virgil. *Aeneid. lib. 10.* quare etiam Sanctum ac inviolabile hoc palatium, ac instar Asyli quo Infelices se recipere possunt, & ad cujus conservationem restorationemque omnes subditi tenentur. Et quemadmodum Polyb. *l. 5.* optime quondam dixit rabiosi esse animi ea perdere quae nec hosti perdita vires adimunt, nec peridenti emolumentum afferunt, ita etiam non
fine

fine ingenti Mercellus egit laude, qui teste Cicerone *ad Ver.* omnibus Syracusarum ædificiis publicis & privatis, sacris & profanis sic pepercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu non expugnanda venisset; alias enim eidem Orationem Rhodiorum ad Demetrium urbicapum pro pictura Jalyfi objicere licuisset sequentem. Quæ malum ratio est, ut tu imaginem istam velis incendio ædium factò disperdere? nam si nos omnes superaveris & oppidum hoc totum ceperis imagine quoque illa integra & incolumi per victoriam poteris. Sin vero nos vincere obsidendo nequieris, petimus consideres, ne turpe tibi sit, quia non potueris Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo gefisse Plin. *Hist. Nat. lib. 8. c. 28.* Ejusmodi enim Pallatia tempore belli atrocissimi etiam Sacra. Totius enim Regniac Proviaiæ interest ut princeps cū subditis non solum omnimoda securitate sit munitus, sed ut etiam *Grata* interdum pro salute Reipublicæ utatur *Quiete*. Sed omnia haud possum prosequi, etiamsi *Deus ora sonantia linguis, Ingeniumque capax totumque Helicon a dedisset.* Ovid. *Metam 8.*

Subscriptio denique partis posticæ Numisnatis est: SECESSUS ÆDE DEO DICATA in VALL. SALINAR. ABSOLUTUS ANNO M DCXC VI. Secessus igitur in signe hocce Augustum dicitur *Pala-tium* quo Serenisimus Pater Patriæ, variis in salutem Reipublicæ distractus curis, *grata* iterum *quiete* poscit atque velit frui, cujusque situm atque fundum verba in *Val. Salin.* produnt. Est enim locus tot arduis, gravissimisque negotiis ad modum opportunus, situ

fitu salubris & amœnus, quem prona naturaliter in
amœnitatis delicias Ducalis magnificentia, immensus-
que in salutem subditorum Zelus, & Christianam
republicam universam demerendi studium meretur.
Digni enim amoenissimi loci solatio sunt, qui inter
duriora laborum theoremata vires, & ingenium im-
periis populisque commodant, ita negotia quandoque
divertant, ut dum in conspectu orbis positi sunt, atque
necessariis studiis, intenti, jucundissima *Secessione* dissi-
milis voluptas afficiat maximis in rebus laborantes T.
Fatidic. *ad Dolabell. Mercur. Codic. XI.* Etenim in hac
valle reducta, qua Serenissimi Principis subditi ab om-
ni coeli, ventorumque injuria tuti sunt, cum Ænea
ex *Virgilio Lib. VI. l. 700.* videre licet

*Seclusum nemus, & virgulta sonantia sylvis,
Lethæumque, domos placidas qui prænatat amnem:
Hunc circum innumera gentes, populi que volabant
Ac veluti in pratis, ubi apes æstate serena
Floribus insidunt variis & candida circum
Lilia funduntur strepit omnis murmure campus.*

Nullus etenim fere præterlabitur dies, quo ex
orbe vario insignem advenarum multitudinem, ad
jucundum hunc amœnumque locum, admiratio atq;
fama non deducat. Accedit quod attestante nostra
inscriptione ac rei veritate, natura etiam ibidem infi-
gnes salinarum scaturigines præbeat, quæ præstantiori-
bus quales in Lotharingia, Halæfaxonum, Tyrolen-
sium, Svevorum, Bojorum, Austriorum, Cracovien-
ses

fes aliæque, itidem cum *Schoningensibus* adnumeranda. Quemadmodum vero ob summam salis utilitatem, bonitatemque apud Plin. *lib. 31. c. 7. & 9.* Plutarch. *Sympos. lib. 31. c. 7. & Plutarch. Sympos. lib. 4. q. 41. Tom. 2. Oper. & lib. 6. quest. 10. p. 684.* de eodem insignes prostant laudes, multaque à Sale dicuntur allegorice, quæ optimo Jure summo etiam Terræ nostræ Episcopo tribui possunt, nisi temporis angustia prohiberet quilibet facile permittet, si de Illo dixerò, Eundem non solum sui Territorii Salem esse *Matth. 5. 12.* dum subditorum suorum & animam & corpus nutrit, illosque à putredine servat, sed etiam Sal vivum, hoc est veram doctrinam, pietatem, prudentiam ac circumspeditionem, in se habere *Marc. 9. Luc. 14.* Sic etiam Sal hospitibus suis ante omnes alios cibos adponit, ut Amicitia Comitatis ac Justitiæ iisdem ostendat solum. Qua propter etiam easdem cum ipso *Palatio Deo T. O. M.* verbis *ÆDE DEO DICATA* iterum dedicavit. Non itaque possum quin Salinisipsis versiculos illos quos in ingressu Salinarum Lüneburgens. legere licet adscribam.

Ecce salinarum largissima dona coquantur

Gratuita hic summi: de bonitate Dei.

Reliquum quia neque possum, neque

Cuncta meis amplecti versibus opto,

Non, mihi si lingua centum sint, oraque centum.

Ferrea vox:

Virgil. *Georgic. lib. 2. n. 40.* me ad Te converto L. B. nullus dubitans, quin qualemcunque hanc dicti Numismatis Expositionem, benignissimis sis Susceptorus

E

mani-

manibus oculisque, cum & illos quibus divina Splendidissimi hujus, Palatii aura nondum affulsit, ejusdem Gloriam minime latere optaverim. Et cum Animus sit, si modo sufficientem nactus fuero occasionem, publici itidem ex Numismatibus facere juris Serenissimor. Ducum Brunsvic. Lüneburg historiam quo omnis Eorundem Gloria, Ædificia reliqua, ac Palatia interquæ præprimis *Hedevvigesburgicum Guelpherbytanum, Blanckenburgicum ac Theatrum Brunopolitanum*, eminent, pateat, ut & Tractatum de successione Lüneburgensi, Coronatione ac Capitulatione Josephi, de Tolerantia omnium Religionum in Republ. salutaris aliisque I. P. capitibus, prius benignam tuam Censuram atque judicium de hisce expectabo paginis, Cæterum ex Horatio Carm. lib. i. Od VII.

*Laudabunt alii claram Rhodon aut Mirilenem
Aut Ephesum bimarisque Corinthi
Moenia, vel Bacho Thebas vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessale Tempe.*

*Me nec tam patiens Lacedæmon
Nec tam Larissæ percussit campus opimæ
Quam domus Albunæ resonantis
Et præceps Anio, & Tiburni lucus & uda
Mobilibus pomaria rivis.*




AK Tm 12.20

X 2972.689

VD 18

M 15





Q.K.
436
29.

EXPOSITIO
NUMISMATIS
ARGENTEI
In Memoriam
DUCALIS PALATII
SALTZDALENSIS
Terræ Brunsvico Gvelfpherbytanæ
nuperrime cusi
HISTORICO-POLITICA.

II m
1220



BIBLIOTHECA
MONICKAVIANA

ANNO D DCC V.

